



00
Kr

2947
An

26
25

DISQUISITIO PHYSICA
DE
ANIMÆ RATIONALIS
ORTU,

*Quam,
Favente Deo,*

*Sub PRÆSIDIO
VIRI*

*Nobilissimi, Excellentissimi atque Experien-
tissimi,*

DN. HENRICI MAJI,
Medicinæ Doctoris, ejusdemque & Physices
Professoris Ordinarii, nec non Celsissimi Hassiæ
Principis Archiatri, Præceptoris ac Promotoris

lui nunquam non colendi,

In Auditorio Philosophico,

Ad diem 21. Octobris, horis antemeridianis,

Defendendam pro virili conscripsit,

JOHANNES GEORGIUS HEINIUS,
GUDENSBERGENSIS HASSUS.



MARBURGI CATTORUM,
Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.
Anno M.DC.LXXVI.

*Plurimum Reverendo, Clarissimo nec non
Doctissimo VIRO,*

**DN. GEORGIO ZENT-
GREVIO,**

**Metropolitano, Ecclesiae Adel-
phicae Concionatori emerito, Susceptori
suo æternùm venerando:**

UT ET


Prudentissimo & Spectatissimo,

**DN. IOH. HERMANNO
MÖLLERO,**

**Reip. Gudensbergensis Actuarius,
& Senatori Integerrimo, Avunculo
suo omni amore prosequendo,**

*Hanc Disquisitionem Physicam, in testimonium
debiti amoris ac honoris, & in sui suorumq;
studiorum ulteriorem commendationem,
dicat, consecrat & offert,*

**JOHANNES GEORGIUS HEINIUS
Auth. & Resp.**



JEHOVA JIVA!
DISQUISITIO PHYSICA
DE
ORTU ANIMÆ RATIONALIS.

I.



DE origine animæ rationalis, inter Philosophos & alios viros doctos, non uno vivitur voto: Sed magna contentio illos de hac re cepit. Sunt enim quidam dicentes, originem animæ rationalis nos planè latere, & nihil frivole de hac re statuendum esse: cujus sententiæ fuit *Augustinus*; verba ejus hæc sunt: *Si origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non est. Neque enim in Christum credimus, ut nascamur, sed ut renascamur, quomocunque nati fuerimus. Vid. Epist. 157. ad Optatum.* Alii verò putant, quòd anima rationalis non sit ex propagine: Sed illam creari, & tunc demum homini infundi, cum in uteris matrum foetus concepti, atque ad animationem præparati sunt: & hanc opinionem tenuit *Bellarminus. Vid. lib. 4. de Amiss. gratia & statu peccati c. 2.* Alii contrà existimant, animam rationalem esse ex traduce & propagatione: ut, *Meisnerus Philosoph. Sobr. Sect. 3. pag. 906. Sperling. Institution. Phys. lib. 1. cap. 3. pag. 119. quest. 3.* Et multi alii. Nec desunt, alii qui dicunt, animam rationalem immediatè à Deo in corpore, dispositiones ad animam rationalem recipiendam requisitas habente, ex nihilo creari. *Vid. Zanch. de operib. creat. l. 2. cap. 1. Jun. in Genes. cap. 2. Thom. Aquin. 1. part. sum. quest. 90. art. 2. Conimbr. l. 1. de an. c. 1. quest. 3.*

II. Quibus ultimis & ego accedo, & ad quæstionem suprâ datam quoque respondeo, quòd anima rationalis immediatè à Deo in corpore, dispositiones ad animam rationalem recipiendam requisitas habente, creetur. Hancce sententiam sequentibus rationibus probo.

A

III. Rao

III. *Ratioprima.* Si anima prolis propagatur, tunc propagatur vel ab anima patris tantum, vel ab anima matris tantum, vel ab utraque: Aft nullum horum dici potest: Ergo planè non propagatur. *Major est certa. Minor trimembris probatur quoad singula membra. Probatio primi membri.* Quia sic excluderetur anima matris, quæ æque animalis est ac patris, & sibi æquè posset animam sibi similem producere, non secus ac anima patris. *Probatio 2. membri.* Quia sic excluderetur anima patris, & etiam hoc modo pater non maneret principale agens in generando. Quod ipse *Meisnerus* fateatur *Philosph. Sobr. Sect. 3 pag. 921.* Et rationem addit. *Soli enim matri adscriberetur, & animæ productio, & corporis elaboratio atque gestatio, cum tamen patri primæ partes & Scriptura, & communi omnium voce assignentur.* Insuper etiam sic (ut adversarii opinantur,) pater non generaret sibi hominem in specie similem; quia sc. non produceret simul animam. *Probatio 3. membri.* Quia sic anima prolis produceretur à duabus animabus, tanquam causis totalibus ejusdem speciei non subordinatis. Et ita anima prolis produceretur tota ab anima patris; quia illa non dependet in operatione ab anima matris: & tota ab anima matris; quia hæc vicissim non dependet &c. Hoc autem implicat contradictionem, esse totam ab anima patris, & esse totam à matris; quia idem est, ac si dicerem, esse totam ab anima patris, & non esse totam ab anima patris, esse totam à matris, & non esse totam à matris.

IV. Sed dices. ad primum membrum cum *Meisnero*, quòd nihilominus anima prolis producat ab anima patris tantum, cum hoc testetur S. Scriptura, dicitur enim *Genes. cap. 46. v. 26.* quòd egressæ sint ex femore Jacobi animæ sexaginta sex. & Vocabulum animæ hinc non sumitur propriè, pro parte essentiali hominis, sic enim ex femore Jacobi egressæ essent saltem sexaginta sex partes essentielles, & non homines, quod falsum: non enim erant cum illo *Ægyptum* ingressæ, sexaginta sex partes essentielles, sed homines ex partibus essentialibus constantes; quæ ex contextu ipso apparet. Sed vocabulum animæ hinc sumitur impropiè & Synecdochicè pro toto homine, & est Synecdoche partis pro toto. Quo respectu etiam dicitur *Ezech. 18. v. 4.* *Anima quæ peccat morietur*, id est, Homo qui peccat morietur: anima enim non potest mori ob immortalitatem.

V. Dices

V. *Dices 2.* Quòd & genealogia confirmet hoc: (quòd anima sobolis sit ab anima patris tantum) cum in iis non attendantur matres, sed tantum patres, quia hi primariæ generationis & multiplicatæ familiæ causæ putabantur, & quòd id defendi nequeat, nisi ex iis solis animæ librorum egressæ statuatur. &c. Id benè defendi potest, etiamsi hoc non statuatur: Nam patres vocantur primariæ generationis & multiplicatæ familiæ causæ; quia sc. sunt principalia in generando & multiplicando familiam agentia.

VI. *Ratio 2.* Contra traducem, & qua præprimis probatur, contra Meisnerum, quod anima prolis nec traducatur ab anima patris tantum. Si anima sobolis traducitur ab anima patris tantum; tunc traducitur, vel ex ipsius animæ patris divisione, vel ita ut anima patris se multiplicet, vel ita ut anima patris traducat animam sobolis ex aliquo semine. Ast nullum horum dici potest. Ergo nec anima prolis traducitur ab anima patris tantum. *Minor* quoad singula membra probatur. *Primum membrum probatur.* Quia, si anima sobolis esset ex divisione ipsius animæ patris substantiæ, anima patris redderetur divisibilis. & per consequens materialis: nam quod est divisibile, illud est quantum, quod est quantum, illud etiam est materiale; quia quantitas est materiæ proprium in quarto modo. *Secundum membrum probatur.* Quia, si anima se multiplicaret, & hoc modo animam sobolis produceret; tunc se multiplicaret, vel ex nihilo, vel ex divisione ipsius substantiæ; Sed nec ex nihilo, quia hoc infert creationem, (creatio enim est productio rei ex nihilo) quæ enti creato non convenit, sed increato. Nec ex divisione ipsius substantiæ; quia sic iterum redditur divisibilis: Ergo nec anima patris ex multiplicatione animam sobolis producit. *Tertium membrum probatur.* Si anima patris producit animam sobolis ex semine aliquo; tunc illud semen erit, vel ex materia, vel ex ipsa anima patris. Ast semen illud non est ex materia; quia sic anima prolis esset materialis: nam ex materia nihil fit nisi quod est materiale. Nec ex ipsa anima parentis, quia aliàs fieret vel ex tota anima parentis, & hoc non; quia sic anima parentis destrueretur, & in semen spirituale converteretur: nec ex parte animæ parentis; quia sic anima patris divideretur, dum una pars in semen spirituale verteretur, altera verò non. Ergo nec sic quoque anima prolis producitur.

VII. *Dices.* Te quidem concedere, quod anima proles nec sit per divisionem. nec per multiplicationem, nec per semen aliquod ab anima patris; sed tamen alio modo esse ab anima patris, & quidem esse ab anima patris, tanquam flammam, quam excepimus à flamma candelæ, illâ tamen nihilo secius integrâ permanente. & I. Quòd illa flamma integra maneat, hoc negatur; aufertur enim pars aliqua de ipsius substantia, quod videri potest hoc modo. Sumamus duas candelas ardentes, & unam extinguamus, alteram verò supra extinctam reneamus, ita ut fumus ab extincta exurgens accedat ad flammam candelæ ardentis; tunc videbimus partem flammæ candelæ ardentis per fumum extinctæ descendere, ut sic candela extincta, per partem istam, quæ de flamma candelæ ardentis descendit per fumum candelæ extinctæ, accendatur. Quod autem flamma candelæ, à qua excepimus flammam, maneat integra, exinde fit, quia sc. illa pars quam abstulimus, per nutrimentum, quod est oleum, restauratur. 2. Licet procederet hoc, ut sc. flammam possimus excipere de flamma candelæ, ita ut maneat integra, non tamen procederet statim & hoc, ut anima proles sic quoque ab anima patris accendatur; quia flamma candelæ à qua excipimus aliam est corpus, anima patris verò est spiritus; à modo verò producendi rem materialem, ad modum producendi rem immaterialem, N. V. C.

VII. *Ratio 3. ex S. Scriptura petita:* Si Deus homines creat; tunc illos creat, vel secundum animam, vel secundum corpus. At Deus homines creat, Ergò vel secundum animam vel secundum corpus: Sed Deus homines non creat secundum corpus; quia illud est ex semine, ideoque non potest dici creari; quia creatio est productio rei ex nihilo. Ergo secundum animas, estque ita falsum quod animæ traducantur, quòd autem Deus homines creet, probatur, ex *Jes. 42. v. 26. Nunc verò sic ait Iehova creator tuus ô Iacob. Et v. 32. quem ad gloriam meam creavi. Et cap. 43. v. 2. Ego Iehova sanctus vester, creator Israëlis Rex vester. Et 54. v. 16. En ego creavi fabrum sufflantem in ignem prunarum, & proferentem instrumentum ad opus suum, similiter ego creavi interfectorem ad perdendum.*

IX. *Dices,* Licet concedatur quod hæc dicta intelligenda sint de anima tantum, illis tamen nondum probatur, quod anima à Deo creetur creatione immediata; quia etiam Deus dicitur creare rem aliquam mediantibus (secundum B Augustinum) causis secundis, & hoc

hoc non est creatio immediata; sed mediata: hoc modo quoque hæc dicta intelligenda sunt, ut sc. Deus animam prolis creet, generante anima patris. & 1. Negatur quod Deus creet generantibus causis secundis; sed potius generat, generantibus causis secundis, quapropter hoc dictis supra citatis non adversatur; in dictis enim dicitur, quod Deus creet homines, & non quod generet. Et quomodo, quæso, Deus posset creare generantibus causis secundis: nam creatio est duplex, primaria vel secundaria. Primaria est, quâ Deus rem creat ex nihilo simpliciter. Secundaria est, quâ Deus rem creat ex materia indisposita & inhabili. Si jam Deus creat generantibus causis secundis; tunc crearet vel creatione primaria, vel secundaria. At non Primaria; quia hæc simul stare non possunt, esse aliquid à causis secundis per generationem, adeoque ex materia, & nihilominus tamen illud ipsum esse simul à Deo per creationem primariam, adeoque ex nihilo simpliciter: hæc enim implicant contradictionem, esse ex materia & tamen simul esse ex nihilo, idem enim est ac si dicam, esse ex materia & non esse ex materia. Nec secundaria; quia hæc itidem stare non possunt, esse aliquid à causis secundis per generationem, adeoque ex materia, in qua potentia naturalis est ad recipiendam formam (ut semen.) & nihilo secius illud idem esse à Deo per creationem secundariam, adeoque ex materia indisposita, inhabili, in qua potentia naturalis ad receptionem formæ non est (ut terra fuit respectu Adami) hæc enim iterum implicant contradictionem.

2. Sit ita, quod sc. Deus creet generantibus causis secundis, hoc tamen nondum procederet, respectu Dei & animæ patris; quia anima patris non generat animam sobolis. Ergo etiam Deus non potest creare animam sobolis generante animâ patris. Quod autem anima patris non generet animam sobolis, probatur: Si anima patris generat animam sobolis; tunc generat vel ex sua substantia, vel ex nihilo. At neutrum potest dici: Ergo anima patris non generat animam sobolis. *Prius probatur:* Si anima patris generaret animam sobolis ex sua substantia; tunc illam generaret ex sua substantia vel tota, vel ex parte suæ substantiæ. At non ex tota; quia aliàs anima patris evanesceret, & in animam sobolis transmutaretur. Nec ex parte suæ substantiæ; quia hoc modo foret divisibilis. Ergo non generatur ex substantia patris. *Posterius probatur.* Quia hoc infert creationem, quæ animæ non competit.

X. Ratio 4. Propheta Zacharias cap. 12, v. 1 Sic ait. *Dicitur Iehova, qui extendit caelos, & fundat terram, formatque spiritum hominis in eo: Heb. in medio eius.* Ex hoc dicto tale argumentum necitur. Quaecunque actio à Deo discernitur ab actione, quæ non ab ipso solo, sed mediatè producitur, & numeratur in actionibus à Deo solo & immediatè productis. idque ad demonstrandam suam omnipotentiam, illa actio est actio, quæ à Deo solo & immediatè producitur. At formatio spiritus hominis in medio corporis eius est actio, quæ à Deo discernitur ab actione, quæ non ab ipso solo, sed mediatè producitur, & numeratur in actionibus, à Deo solo & immediatè productis, idque ad demonstrandam suam omnipotentiam. Ergo formatio spiritus hominis in medio corporis eius est actio, quæ à Deo solo & immediatè producitur; & per consequens spiritus hominis in medio corporis eius non generatur: Sed à Deo ex nihilo creatur. Creatio enim, non generatio, à Deo solo & immediatè producitur. Major est clara. Qui negat, is proferat ex scriptura contrarium exemplum. *Min. probatur.* nam primò formatio spiritus hominis in medio corporis eius discernitur ab actione, quæ non à Deo solo, sed mediatè producitur; quia discernitur à productione corporis hominis, quæ est actio Dei mediata, & quam hoc loco non deprædicat Propheta, sed tantùm productionem seu formationem spiritus hominis, in medio eius, nempe corpore: Deinde formatio spiritus annumeratur etiam actionibus à Deo solo & immediatè productis, quia accensetur extensioni caelorum, & fundationi terræ; quæ utique sunt actiones à Deo solo & immediatè productæ. Id autem fieri ad ostensionem divinæ omnipotentiae, nemo it inficias. *Dices.* Quòd in hoc dicto intelligatur tantùm creatio animæ Adami, quæ ex iraduce esse non potuit: quodque appareat ex annexa fundatione terræ, & extensione caeli. &c. Negatur, quòd hîc tantùm intelligatur creatio animæ Adami: nec annexa fundatio terræ, nec extensio caeli aliquid probat, conjungit enim S. Scriptura sæpe cum opere creationis primæ, opus, quod sæpe fit. vid. *Es. 45. v. 7.* Plures rationes proponere angustia chartæ prohibet: qui verò plures desiderat, videat *Stannar. Diss. Physi. De origine animæ rationalis Rodolph. Goclen. Psycholog. pag. 82. & seq.* Item supra citatos, *Zanch. &c.*

XI. Obj.

XI. *Obj. 1.* Quicquid sibi simile generat, & juxta speciem se multiplicat, id formam ipsam in generatione communicat. At homo sibi simile generat, & juxta speciem suam se multiplicat. Ergo formam ipsam in generatione communicat. *Major prob.* Quia specificum esse sola forma dat. *Respondetur* ad Majorem distinguendo: Quicquid sibi simile generat &c. (sc. ex hominibus) id formam ipsam in generatione communicat, per unionem sc. quæ animam à Deo in corpore creatam unit: conced. Maj. Si verò sic; id formam ipsam in generatione communicat, per traducem sc. N. Maj. Respondetur ad probationem. Probatio hæc est. Quia specificum esse sola forma dat. Ex his verbis tale argumentum fluit. Si forma dat esse specificum, tunc ille homo, qui sibi simile generat, & juxta speciem se multiplicat, formam ipsam in generatione communicare debet (per unionem sc. Conceditur totum argumentum. Per traducem verò N.C.) At prius verum. Ergo & posterius.

XII. *Obj. 2.* *Ædificavit* Jehova costam illam, quam tulerat ex homine, in mulierem. Sed mulier constat ex anima & corpore. Ergo secundum animam & corpus ex costa viri producta fuit. Et quemadmodum vitiosa est argumentatio, si sic argumenter: Christus est independens, simplicissimus, infinitus, immensus, immutabilis, æternus &c. Christus constat ex divinitate & humanitate. E. Christus secundum divinitatem & humanitatem est independens, simplicissimus, infinitus &c. *Item;* homo est immortalis, intelligens, volens. Homo constat ex anima & corpore. Ergo secundum animam & corpus immortalis est &c. Ita etiam vitiosum est, si sic argumenter: Mulier producta est ex costa viri. Mulier constat ex anima & corpore. E. secundum animam & corpus producta est ex costa viri. Nam sic inferendum est: E. quoddam constans ex anima & corpore productum est ex costa viri. In tertia enim figura necesse est. totum & integrum prædicatum minoris in conclusionem inferri & subjecti loco poni. Vid. *Keckerman, lib. 3. syst. logic. lect. 1. cap. 9.* Deinde Evam ex costa Adami respectu animæ non fuisse productam, apparet ex verbis Adami, in quæ erupit, cum Deus Evam ad ipsum adduxit, : *Hac demum vice adest os ex ossibus meis, & caro ex carne meâ: hæc vocabitur vira, eò quod hæc ex viro desumpta sit, Gen. 2. v. 28.* In quibus verbis saltem commemorat ossa & carnem, nullâ factâ mentione animæ, secundum quam è viro fuerit desumpta; cujus tamen
in pri-

in primis mentionem factam oportuisset, si ejus ratione producta fuisset Eva è costa Adami.

XIII, *Obj. 3.* Si Scriptura testatur, quòd anima sit ex traduce; tunc temerè defenditur creatio. *Alt prius verum. Ergo & posterius. Min. Probat.* Quia 1. dicitur *Genes. 1. v. 28. Dixit Deus mari & femina, multiplicare vos.* Ex his verbis sic concluditur, Si Deus iis dedit potestatem multiplicandi; tunc etiam iis dedit potestatem producendi animas. *Alt prius verum. Ergo & posterius. Consequentia probatur.* Quia, si Deus iis non dedisset potestatem producendi animas; illi etiam non potuissent se multiplicare; quia sic saltem produxissent corpus. corpus autem absque anima non est homo, Sed est res mortua, ut patet exemplo hominum mortuorum. Quia 2. dicitur *Genes. 2. v. 2. 3. Deus quievit ab omni opere suo quod fecerat.* Ex his verbis ita arguitur. Si Deus quievit ab omni opere suo, quod fecerat, tunc etiam quievit à creatione animarum. *Alt prius verum. Ergo & posterius. Conseq. prob.* Quia animas rationales (sc. Adami & Evæ) etiam fecerat, antequam quievit. *R. Ad prius. Neg. Conseq.* nec inde probatur. quòd aliàs non potuissent se multiplicare; quia sic saltem produxissent corpus: nam etiamsi Deus illis non dedisset potestatem producendi animas, (quamvis etiam non dederit) tamen potuissent se multiplicare, quoad animas etiam: non quidem quòd animas per traducem produxissent; sed quòd illas univissent cum corporibus, ita ut animæ incepissent informare, inhabitare, implere totam materiam corporis. *Int.* Quòd Deus creando unit; illud homo non unit. *At Deus animam creando unit. Ergo homo illam non unit. R.* Quòd Deus creando unit sc. tantùm; illud homo non unit, *C. Maj.* *Alt Deus animam creando unit tantùm, N. Min.* Deus enim animam unit intervenientibus causis secundis, cum quibus per communem concursum concurrat ad actionem unitivam, quam generans virtutis seminalis interventu elicit. *R. Ad posterius.* Si Deus quievit &c. tunc etiam quievit à creatione animarum, sc. à creatione nova animarum, ut non amplius novas crearet, *C. Conseq.* Si verò sic. Si Deus quievit &c. tunc etiam quievit à creatione animarum, ita ut illis animis, quas semel creavit, similes creare non pergat, *N. Conseq.*

Hæc de hæc quæstione impræsentiarum sufficient. Deo T. O. M. sit honor, laus & gloria in sempiterna secula. Amen.

C O.

C O R O L L A R I A.

1. An spatium à corpore realiter distinguatur? *Affirm.*
2. An hac definitio, Homo est animal rationale, sit bona? *Affirm.*
3. An possit dari corpus infinitum? *Neg.*
4. An mundus extensione infinitus sit, ut ut impossibile sit dari plures mundos? *Neg.*
5. An Deus sit infinite præsens, si tantum sit in hoc mundo? *Neg.*
6. An angeli possint esse præsentes in spatiis distatis, in iisq₂ simul operari? *Neg.*
7. An anima hominis nil nisi cogitatio sit, eaque sublatâ possit homo vivere & moveri? *Neg.*
8. An nihil ad humanam naturam faciat præter cogitationem? *Neg.*

* * * * *
Ist es nicht das vierte mahl / daß Ihr diesen ort bestiegen?
O sehr wehrter Musen-Sohn! Allezeit auch obgesiegen?
Hätt es dann nicht sollen seyn nunmehr die Magisters-Prob?
Als die Ihr hätt können längst zeigen uns mit großem Lob;
Neulich stund Apollo schon oben auf Parnassus-Spize /
Neben Ihm der Musen-Chor auf dem schönen Pindus-Sike:
Er / Apollo war bereit Euch zugeben fleisses-Lohn /
Sie / die Musen mit der Hand fochten die Magisters-Eron;
Gleichwohl habt Ihr dazumahl / auch noch jekund abgeschlagen
Eures fleisses Ehren-Krank / den Ihr doch mit Ruhm könt tragen.
O! Apollo werdet Ihr damit (fürcht Ich ganz und gar!)
Reisen an zu großem Zorn / sampt der ganken Musen-Schaar.
Glaubet mir / Apollo steht bey den Schönen Pierinnen /
Icht noch haltend grossen Raht; was Ihr Euch doch werd besinnen?
Vnsrer Freund (so sprechen Sie) diß ja nicht abschlagen kann /
Seht! des Herren Vatters Raht Er vielmehr wird nehmen an.
Habt Ihr dieses dann nicht gern / daß ins künfftig sehr belade
Euch Apollo grosser Zorn / und der Musen-ungenade?
Ia / wolt Ihr den Nahmen auch / welchen der Herz Vatter führt;
Nehmt dann an / was Ihr verdient / Euch auch angebotten wird.
Nun / Ich zweiffle gar nicht dran / daß der Löhnen-Majadinen /
Iekund umb Euch stehend hir und anhörend diß beginnen /
Von Euch bald auch werden sehn wirklich den Maasters-fleiss /
So Ihr längst erworben habt durch Studirens sauren-Schweiß.

In wohlverdienten Ehren des Herren Urhebers und Antwortenden hat dieses geringfügige anfügen sollen

M. HENRICVS WEPNERVS,

h. c. Stipendiariorum Major. Opponens.

B. Wehr

1.
Wehr sich nimmer selbstem kenne /
seiner seelen ahnfangs - ahre
nicht durch wissenschaft benenne /
seinen fleiß in diesem spahre;
was will solcher sonst wissen?
Blindlings wird er tappen müssen.

2.
Billig frage dich ob sie werde
Von den Eltern fortgeplankt?
Oder; ob die anfangs - erde
durch die schöpfung werd ergankt?
Hier will manchem wiß verschwinden /
keinen rath weiß er zu finden.

3.
Du/der du bist abgestammet /
von des tapfren Vatters preiß /
zeigest wie sie einzig stammet
vondem Herrn der alles weiß.
Ruhn dich wird noch endlich müssen
hoher ämpter glanz beküssen.

So bediente seinen sehr wehrten Freund
M. Joh. Adam Schönfeld.



Die Festung der Vernunft / wo solche thut herspriessen /
Und wo die Edle Seel der menschen thut herfließen;
Ob selbe wie der Leib von zeugern der natur
Den ursprung haben mag? Nach vieler sinnen spur.
Ob selbe word dem Leib von Gott darein gegeben?
Der sie auch wieder nimbe nach eines menschen leben;
Diß letzter zeigt mein Freund in dieser seiner Schrifft /
Und jener sinnen spur mit seiner übertriff.

Auß schuldiger Freundschaft aufgesetzt
von

ISRAEL ZENTGREVE, Opp.

FINIS.

01 A 6559


ULB Halle 3
002 936 151



Sb.

Vb 17





26
25

DISQUISITIO PHYSICA
DE
ANIMÆ RATIONALIS
ORTU,

*Quam,
Favente Deo,*

Sub PRÆSIDIO

VIRI

*Nobilissimi, Excellentissimi atque Experien-
tissimi,*

DN. HENRICI MAJI,

Medicinæ Doctoris, ejusdemque & Physices

Professoris Ordinarii, nec non Celsissimi Hassiæ

Principis Archiatri, Præceptoris ac Promotoris

sui nunquam non colendi,

In Auditorio Philosophico,

Ad diem 21. Octobris, horis antemeridianis,

Defendendam pro virili conscripsit,

JOHANNES GEORGIUS HEINIUS,

GUDENSBERGENSIS HASSUS.



MARBURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.

Anno M.DC.LXXVI.

